



Conciones, Siue Conceptvs Theologici Ac Praedicabiles, In Omnes Totivs Anni Dominicas

Opvs Novvm Figvris, Allegoriis, Similibvs Ex Sacris profanisq[ue]
Scriptoribus plenißimum, cum occurrentium fidei controuersiarum
tractatione.

De Sanctorum Festiuitatibus Annitotius - Nvnc Demvm Integre Svppleti,
Concionibus per octauam Vener. Sacramenti suo ordine intersertis

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1620

In Festo S. Lucæ Euangelistæ. Designauit Dominus & alios septuaginta,
&c. Luc. 10. 1. De missis animarum curionibus in ætate gratiæ. 2. Modus
Apostolicæ missionis. 3. Missi sine pera & calceis. 4. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56205](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56205)

ris, irreconciliabilis infidelium inimici, regiae veritatis tubæ, diuini rerum cœlestium præconis & amanuentis, luminis deniq; huius in Ecclesia vniuersa, tum doctrina, tum virtutis nimum quantum coruscantis.

Nolite, nolite vnquam obliuisci illorum, quæ docuit, fecit & tulit pro vobis. Quin & iterum illius molestiæ, studiorum labores, vigiliarum inquietudines, prædicationum sudores, vitæ austeritas, precum diuturnitas, honoris diuini zelus, fidei amplificanda desideria, & æstuantissimus animarum, quo ardebat, zelus, cordis vestri tabulis, & æreis memoriæ vestræ laminis æternum, omnium in oculis, insculpta maneat.

Et quis obsecro tui martyr gloriosissime obliuiscatur? quis ad eò futurus ingratus, qui te à se eliminat, itaque negligat? Nihil enim multis magnisque urbem hanc Parisensem nominibus tibi deuinxisti, nimia tua in illa sunt merita, nimis multa in Gallia nostra perpassus es, nimis orbi vniuerso illuxisti, nimis denique graues pro Christiana Religione labores sustulisti, omnem vt tui tam cito memoriam fideles exuant. Vita namq; tua, mors, illustre martyrium, gesta, scripta, virtutes, merita, laudes denique tuæ, quamdiu mundi hæc machina stabit, stabunt, & in perpetua hominum viuæ memoria, obliuionis omnis expetita. Numquam non Ecclesia, & Catholica, velut martyrum suorum illustrium vnum exaltabit, Lutetia cœu Episcoporum suorum sanctissimum extollet, Gallia deniq; vniuersa nomen tuum semper deprecabit, vt Religionis tuæ sudatoris, fidei tuæ doctoris, verbo vt dicam, vt Apostoli tui celeberrimi. Eia ergo, gloriose Martyr, fidei nostræ testis, magne veritatis Doctor, quantum te ipsi laudamus & obsecramus in hac vita mortali, pro nobis tantum ipse vicissim in cœlesti regione apud communem Dñm intercede. Tuo quoque fauore, auxilio ac gratia fiat, vt quam ipse prædicasti, & sanguinis effati sigillo obsignasti fidem, hoc in regno integra ac sincera conseruetur, Euangelij paritas inibi semper in permixta erroribus permaneat, antiquæ ac pristinæ pietatis ignis numquam extinguatur, sed semper magis ac magis inardescat, eadem religionis hic sit, quæ regni ac status politici perpetuitas, ipse Redemptor Iesus assidue hic adoretur, Ecclesia eius floreat, fides

ac deuotio numquam intermoriatur, virtutes suum hic figant domicilium ac sedem, hæreses omnes & erronea dogmata proscribantur, & regni pax, & illius cum religione coniunctio, & cum vtraque cœlestis benedictio perpetuo perseueret. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

IN FESTO S. LVCAE EVANGELISTAE.

Partitio.

- I. De missis animarum curicibus in aetate gratia.
- II. De modo Apostolica missionis.
- III. Cur sine pera & calceis?
- IV. De S. Luca varijs scientijs.
- V. De eiusdem boue symbolico.

Designauit Dominus & alios septuaginta duos. Luc. 10.

FIGVRA.

EZechiel & Apocalypsis quatuor nobis animalia describunt, mystica, prodigiosa, & mirabilibus plena, quorum vñ vitulo erat simillimum. Patrum omnium expositionem sequendo, quatuor hisce animalibus quatuor Evangelistas, & vitulo Lucam denotari assero, cum us hodie celebritatem colimus, cuiusq; vitam, gesta, merita, virtutes ac mirabilia describere vobis conabor. felicem porro vt exitum propositum meum consequatur, tum quo vobis satisfiat, tum quo suis glorioso huic Evangelistæ honos habeatur, ad Spiritum sanctum nos conuertamus, suo nobis vt adsit auxilio, gloriosaque Virginis intercessionem solitam inuocemus, atque ideo communi voto in genua prouoluti, AVE MARIA recitemus.

Quicumque vniuersam sacræ scripturæ seriem & ordinem vtroque in Testamento comprehensam curiosius indagant, animaduertent, ex omnibus illius historijs & narrationibus tres mundi status præcipuos & ætates notari posse. Primum ab Adamo ad vsque Moysem, quem Paulus ad Romanos signauit, Rom. 5. Regnavit mors ab Adam vsque ad Moysem.

Gggg 3

Se

Secundum à Moysè ad Christum, tertium à Iesu Christo ad vsque finem sæculi: atque triplici hoc in statu semper Ecclesiæ suæ Deus viros tum autoritate, tum sanctitate præstantes destinavit, qui eandem regerent, & animarum salutem procurarent.

In primo Patriarchas destinavit, Noë, Abrahamum, Isaac, Iacob, Iosephum, aliosque in secundo Prophetas, Moysen, Eliam, Elifazum, Isaiam, Ieremiam, & alios infinitos, de quibus Dominus in Evangelio locutus est, *Ece ego mitto ad vos Prophetas, & ex illis occidetur, & crucifigetur, &c.* In tertio Apostolos, Euangelistas, septuaginta discipulos, & alios sanctos & eximios viros: de quibus omnibus ad Ephesios loquens Paulus ait, *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum.*

Mysticè hoc figuratum fuit & adumbratum in operarijs illis vineæ, de quibus in Evangelio sermo, *Simile est regnum caelorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.* Magnus ille paterfamilias Deus est: vinea, Ecclesia: operarij vero pastores & sancti, quos ad illius regimen ac directionem destinavit. ait Parabola Patremfamilias quater exiisse, summo mane, hora tertia, sexta, nona, & undecima, ut hinc constaret, Deum similiter quoque egressum esse ad operarios in Ecclesiæ suæ laborem emittendos. Primo summo mane egressus est, iam inde à mundi exordio, quo tempore Patriarchas conduxit, qui ad vsque tempora Moysis in vinea sua sudarunt. Deinde hora tertia, quando Prophetas adduxit, qui vineam illam runcarunt & excudicarunt, ad vsque Christi gratiam. Tertia vice circa sextam & nonam egressus, Apostolos & Euangelistas & septuaginta discipulos in vnum coegit, & in vineam Ecclesiæ destinavit, qui strenuè post Christi in caelos ascensum in eadem operati sunt. Ultima vice, id est, circa undecimam & vesperam egressus, post tempora Apostolorum & discipulorum, Doctores, Prædicatores, aliosque sanctos viros emisit, qui tum manu & voce, tum etiam opere ipso & exemplo non segniter & integre laborarunt, & ad mundi vsque consummationem in Ecclesiæ salutem, defensionem ac propagationem incumbunt. Quamvis porro parabola

quadruplicis egressus patris huius familiæ mentionem faciat, non nisi tres tamen cæteris insigniores notantur, matutinus scilicet, ad tertiam, & ad sextam & nonam, qui triplicem mundi statum, quem iam descripsi mus, representant.

Tameñ autem in triplici hoc statu se sapientem ac providum Deus declaravit, utpote, qui in horum singulis magni nominis operarios miserit: in tertio tamen longe se admirabiliorum quam in duobus prioribus ostendit: post Christi siquidem aduentum, ad Ecclesiæ suæ gubernationem bonorum operariorum florem & selectissimos quosque destinavit, tot celebres Doctores, tot providos & intrepidus Confessores, tot generosos Martyres, infinitos alios viros, sanctitate vitæque innocentia conspicuos, ut hoc eminens conspicuus Psaltes admirando exclamet, *Mirabilis Deus in Sanctis suis.* Quasi diceret, tot tantosque sanctos viros ad Ecclesiæ suæ statum dirigendum Deus destinavit, ut mirabilem se hic exhiberit, mirabilem scilicet in eorum prædicatione, vita, miraculis & martyrio. Quamobrem Prophetæ in actionem dum examino, in ferre hinc voluisse video, operarios, quos Deus in primo ac secundo mundi statu emisit, non esse cum tertijs villo pacto conferendos.

Amalecitarum dum Israelitas bello lacefferent, Moyses Iesu, id est, Iosue ait, *Elige tibi viros potentes ex omnibus filijs Israel, & egredere. & confige cum Amalec crastino, &c.* Tria hic notanda veniunt: primum, numquam prius ante Iosue hoc nomine vocitarum fuisse, ut docte observavit Origenes: secundum, Moysen hoc bellum aggredi, neu sibi victoriam spondere ausum: in dō ne defectum quidem militum facere voluisse, sed Iesu omnem auctoritatem tradidisse: tertium, cum nomen Iesu hic reperitur, mystice hic denotatum fuisse, per legem naturalem aut scriptam peccatum non debellari, imo nec illas gratiam conferre, neu strenuos bellatores seligere potuisse, sed Iesu Christo & Evangelio id reservatum fuisse.

Nescio sane, an sol vmquam generosiores magisque strenuos bellatores viderit, quam illos, qui post Iesu Christi aduentum in mundo compaerunt. Quis, obsecro, fortiores & infractiore animo vidit vmquam milites, quàm Apostolos & Martyres: David inter primos de

Matt. 23.

Ephes. 4.

Matt. 20.

Parabola de operarijs in vinea accommodata.

Psal. 8.
Psal. 11.
Iisdem varicatus, deos fortes terræ eos nuncupat, *Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt.* Apostulus quoque ad Hebræos de alijs etiam loquens, in bello inuincibiles eosdem extitisse refert: *Fortes facti sunt in bello, &c.*

Can. 3.
Ecclesia thalamo Salomonis ualuit.
Canticorum liber lectulum Salomonis à sexaginta uiris fortissimis & circumsecus armatis quotidie custodiri asserit. *Sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel.* Lectulus hic ac thalamus regius Ecclesiæ Christi statum representat, de quo in Euangelio dicitur: *Eccc plusquam Salomon hic.* Sexaginta porro fortissimi, ubi numerus certus pro incerto ponitur, qui assidue illum custodiendo circumstant, Apostolos, Euangelistas, discipulos, atq; alios plurimos sanctos, quos Deus uelut omnium fortissimos & generosissimos ad Ecclesiæ suæ custodiam & conseruationem selegerat, designant. Quorum robur ac fortitudinem expressit Propheta dicens, *Ipse dabit uirtutem & fortitudinem plebi suæ.* Ecquæ fuit Apostolorum uirtus, quæ septuaginta discipulorum fortitudo?

Num. 11.
Occisione septuaginta discipulorum huc traham quod in libro Numerorum dictum est, Deus enim quo Moyses onus subleuaret, & populus suus quiete posset, septuaginta magni nominis & auctoritatis uiros de senioribus israel seligi iussit, quibus Moyses spiritum communicauit ac sapientiam iam, illius ut coadiutores & collegæ forent, tamque domi quam belli illum consilijs & opere iuuarent, *Et dixit ad Moysen, congrega mihi septuaginta de senioribus Israel, &c. auferam de spiritu tuo, & radamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non sis solus graueris.* Hoc olim inter Iudæos in figura, at deinde in Ecclesia Christi in rei ueritate contigit. Nam Pater æternus auferens de spiritu Iesu Christi, Apostolis & septuaginta discipulis illum communicauit, quos ut coadiutores illius & collegas, ut in mundi conuersione & Ecclesiæ regimine illi collaborarent, & onus simul sustentarent, assignauit, imo uelut socios dedit: ita docet prima ad Corinthios Apostolus, *uocati estis in societate filij eius, &c.*

1. Cor. 1.
Sexta fluuorum Israel mansio fuit in loco quodam duodecim fontibus irriguo, & septuaginta palmis conspicuo: *Venerunt autem in Egitum filij Israel, ubi erant duodecim fontes aquarum & septuaginta palma, &c.* Qui allegorice

exponere hoc uoluerit, reperiet. sextam hanc mansionem sextæ mundi ætatis figuram fuisse, in quam Iesu Christi incidit natiuitas, in qua Ecclesia substitit & castrametata est: prima ab Adamo fuit ad vsque Noeum, secunda à Noe ad Abraham, tertia ab Abrahamo ad Moysen, quarta à Moysen ad Dauidem, quinta à Dauide ad Christum, sexta denique à Christo ad finem vsq; mundi. Cæterum duodecim illi fontes duodecim denotabant Apostolos, qui uelut gratiarum fontes uniuersam Ecclesiam irrigarunt, & septuaginta palmæ discipulorum septuaginta figuræ erant, qui modestiæ suæ umbra & miraculorum opacitate eandem obumbrarunt. Moyses initio Exodi illustrem ac splendidam Iacobi genealogiam texens, duodecim illum Patriarcharum patrem fuisse ait, quorum hæc fuere nomina, Ruben, Simeon, Leui, Iudas, Isachar, Zabulon, Benjamin, Dan, Nephthali, Aser & Ioseph: è quibus deinde septuaginta natos ait, *Erant igitur omnes animarum, qui ingressi sunt de femore Iacob septuaginta.* Accedit hoc quam proxime opinioni nostræ, si enim uel parum mysterium hoc sublimare uoluerimus, & ad anagogiam reducere, inueniemus, quod quemadmodum Iacob duodecim habuit filios, qui duodecim illi Patriarchæ fuere, ita Christus totidem habuerit adoptiuos, duodecim inquam Apostolos, & alios septuaginta discipulos, omnes è se genitos & à se destinatos missos, *sicut misit me uiuens Pater & ego mitto uos,* atque omnes auctori-

70. Discipuli in 70 palmis figurati.

Exod. 1.

12. Apostoli collati duodecim Patriarchis.

Iuan. 20.

tate & sanctimonia eximios. Et paucis ut dicam, sunt noui illi operarij, noui illi bellatores & septuaginta discipuli, de quibus in Euangelio sermo est, *Designauit Dominus & alios septuaginta duos:* & quoniã Euangelium hoc non sine omine in gloriosi Lucæ Euangelistæ festo legitur, qui vnus è numero septuaginta illorum discipulorum: primo in genere Euangelij expositionem adferemus, ac deinde sigillatim ad Dñi Lucæ merita & elogium descendemus. Atq; utraque ex parte demonstrabimus, in ultimo hoc & tertio mundi statu maximos homines, uirosq; sanctissimos ad Ecclesiæ administrationem illum selegisse, ut in exordio dicere cœperam.

Quod ad primum, certum est, & è scriptura colligitur, post electionem ac uocationem duodecim Apostolorum, Dominum ad sui se-

II. Electio 72. discipulorum. que

quelam & Ecclesie regimen septuaginta duos elegisse discipulos, vt e verbis his colligitur, *Designauit Dominus & alios septuaginta duos, quos voto paupertatis astrinxit, vetuitq; baculum, aut facculum, aut calceamenta ferre, Nolite portare sacculum, aut peram, aut calceamenta:* Inermes illos emittit, & sine pecunia: sine armis mundum tamen vniuersum subiugatos, sine pecunia eundem ditaturos: sine armis, vt terrae fortitudinem & potentiam iriderent: sine pecunia, vt diuitias superaret: sine armis, suum vt robur & potentiam demonstraret: sine pecunia, vt prouidentiam. Quae agendi ratio mundi consuetudini penitus contraria est & repugnans.

Sine auro & armis nihil agit mundus.

Mundus enim suis in conflictibus & expeditionibus semper arma & auro adhibet, ijsq; victoriam consequi solet, & terrorem incute-re: haec siquidem belli neruus sunt & robur. Adeo vt Aristot. in Politicis scripserit, *Necesse est eos, qui ad remp. accedunt & propter eos, qui imperium detrectant, & propter eos, qui inferre iniuriam conantur, arma domini in armamentario habere, &c.*

Tullij regis sententia.

Hoc spectabat olim Tullius Rex cum apud Liuium diceret, *An armorum sita est orbium potentia, qua nulla est absque numerosis copiis.* Idem quoque habet Tacitus, *Neque quiete gentium sine armis, neque arma sine stipendijs, neq; stipendia sine tributis haberi queunt.* Haec quidem mundi sententia & consuetudo.

Dei conceptus alij, quam hominum.

Sed longe alia agendi ratio Dei est: limites enim imperij extenturus, inimicos debellaturus, victoriam relaturus, suos ab armis & auro parum instructos destinare solet. Hoc modo Isaiam Prophetam misit, nudum scilicet & inermem. *Vade & salue, inquit, sacculum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis; & ferit sic, vadens nudus & discalceatus.* Quod ipsum Propheeta admiratus exclamat, omnesque ad caeli adinventiones, nouamq; agendi rationem admirandam excitat, *Notas facite in populo adinventiones eius.* An non enim eximia & praestans adinuentio, quam admirari par est, Reges a piscatoribus debellari, Philosophos ab indoctis & imperitis refutari, magnos a paruis euinci, diuitibus insultare pauperes, milites & bellatores ab inermibus & simplicibus pessumdari. Hoc est, quod Apostolus admiratur dicēs, *Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, &c.*

Isai. 12.

1. Cor. 1.

Omnes mundi vires & rerum stabilitatem In quo mundi non nisi in voluptatibus & carnalibus desiderijs, in inani scientiarum fastu, & falsae eubur sita. iusdam libertatis spe consistebat. At Deus omnipotens, qui longe alius in consilijs suos emittit, vt alia quadam ratione, & omnino contraria ipsum aggrediantur, ac debellent, inermes scilicet, & tamen confidentes: sine diuitijs, & tamen contentos: omni commeatu & promissione destitutos, & tamen securos: sine libris, & tamen omnia scios. Audite commissionis eorum articulos, *Nolite portare sacculum, neq; peram, neque calceamenta.*

Cicero oratione pro Caecinna eximia hanc sententiam protulit, *Nihil est aequitati tam contrarium atque infestum, quam conuocati armatique milites, nihil tunc tam inimicum, quam vis, &c.* Oratoris huius verba dum attendo, videtur mihi discipulorum Christi, egregio siquam illorum caeli bellatorum missio non ablimilis fuisse, ac summum illum Dominum, qui eosdem misit, censuisse, nefas videri & aequitati penitus contrarium, eos, qui iustitiam & aequitatem promulgaturi veniebant, arma manu praefere, & militum mundi instar vim & violentiam irritare. Neque enim ea Dei est agendi ratio, ideoque illis dictum, *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta.*

Adhaec mundi robur & fortitudo terrena inertiam, formidinem & diffidentiam, praesertim in viris generosis & magnanimis, quales milites & bellatores CHRISTI sunt, ostentant, ideo sine armis & auro ire debent, & mitti solent. Lacedaemoniorum rex Cleomenes, cum elatos vrbis cuiusdam muros videret, ciues incitiae ac vecordiae arguens ait: *O refugium & asyllum mulierum! Potius hoc de Christi militibus dici queat: qui, si armati & crumena referta, commissionem exequi suam velint, inertes, vecordes, & effoeminati censendi sunt.*

Noluit Spartam Lycurgus muro cingi aut propugnaculis comuniri, virtus ne ciues multorum altitudinis & spissitudinis confusi, fortitudinem exuerent. Magnos ille totius orbis legislator Christus Apostolos & discipulos baculum, peram, calceamenta, & facculum, que sunt propugnacula & munitiones vitae, ferre vetuit, ac forte illis fideates, viribus & fortitudi-

dine caelitus collata excidant. Atque ideo aliter vt viverent, illis imperauit dicens, *Nolite portare sacculum, neque peram.*

Luc. 10. Addunt Matthaeus & Marcus, *neque virgā aut baculum.* virga autem haec egregios mihi suggerit conceptus. Docere hic illos & si mul omnes vos voluit, veterem idolorū cultum iam exterminandū, & profanas superstitiones abolendas. Ratio huius est, quod veteres inter ceteras abominationes baculo instructi idola cōsulerent, vnde Oseas Propheeta, *Populus meus in ligno suo interrogauit, & baculus eius annūciavit, spiritus fornicationū decipit, &c.* Discipulos autem dum vetat baculum ferre Dominus, idololatricae superstitionis rūnam portendebat.

Lib. de Num. Secūda ratio haec est, Magnus Gentiu Pōtifer in sacrificijs baculo vt̄ soiebat, quē lituum dicebant, vt ait in diuinatione Cicero, *Quid, inquit, lituus ille vester (quod clarissimū est in signe auguratus) vnde vobis est traditus?* Plutarchus quoq; in Romuli vita ait, *Lituum, inquit, consecratus est in Palatino colle vsq; ad Gallorū tēpora, à quibus capta vrbis incensa est.* Baculo hoc, velut pontificatus sui insigni varias superstitiones & ineptias exercebant: nam illum in sublime iacentes, è sono, quem in terram cadens edebat, augurabantur, & futura praedicebant: Christus vero quod discipulos ad praedicationem emittat, & sacerdotales functiones exercere, & sine baculo inter Gentiles incedere vellet, ostendere vult, baculum diuinatorium & auguralem illis necessarium non esse, & omnem idololatriā pessum ituram.

Symbolum Libertatis baculus. Luc. 10. Tertiam hanc pono. Baculus aut virga libertatis olim erat symbolum, Romani quippe seruos manumittentes virga, quam *vindiciam*, nomine à quodam seruo Vindicio, qui coniurationem quandam in Rempublic. conceptam detexit, mutuato vocabant, percutiebant. Libertatem mundi euerurus, & hominum intellectum beara quadam ratione captiuaturus venerat Christus, de qua Apostolus ait, *Captiuantes intellectum in obsequiū fidei, exhibere membra vestra seruire iustitia in sanctificationem.* ac paulo post: *Nunc vero liberati à peccato, serui autem facti Deo.* Ideoque discipulos sine virga per viam destinat.

Quarta accedat. Mundus iam longo ysu

Bess. de Sanctis.

tyrannica quadam violentia iustos & innocentes affligebat, Christus vero ad nos ex hac captiuitate liberandos & huiusmodi crudelitatem proferendam venerat, iuxta illud Psalmi, *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas.* Hinc cum virga libertatis figura semper fuerit, vt se mundum in libertatem afferendum venisse testaretur, non vult discipulos virgam per viam portare.

Haec denique quinta. Baculus tēpore Moisaico veterem legem denotabat: ita tradit in Virga Homilijs in Exodum Origenes, & Chryso- stomus in Psalmum vigesimum secundum, legis anti- Baculum quem habentes Hebraei agnum Paschalem manducabant, veteris legis imaginem esse idem quoque denotabat virga Mo- sis, & Iacob & Elisaei baculus, quo Samamitidis filium ad vitam reuocare potuit: & virga illa ferrea, cuius Psalmographus meminit, legis rigorem designabat. Ostensus igitur Dominus, legem illam transiisse, & Euangelicam inualescere & celebrem fieri debere, voluit discipulos sine virga, baculo, imo & sine pera praedicare, *Neque sacculum, neq; peram, &c.*

Ad conuiuiorum scilicet delicias, & ferculorum luxus, ingluuiem & auaritiam proferendam, quae duo si in seruo Dei, & praedicatoris Euangelico reperiantur, magnum illi dedecus & infamiam adferunt, si enim de milite hoc testimonium Alexander Seuerus, teste Lampridio dixerit, *Miles non timet nisi vestitus, armatus calcis, & satur, & habens aliquid:* quasi nihil generoso & strenuo militi ingluuie, voluptate, delitijs & diuitijs foret indignius: merito Dominus à discipulis suis haec omnia proscripsit & ablegata voluit, eosque quam paucissimis contentos esse, ac diuitias negligere, eos *nec sacculum, nec perā, gestare permittens, id est, nec comeatum, nec pecuniam, quod alius Euangelista clarius exponit, dum ait, neque pecunia in zonis vestris.*

Locum hunc expositurus, tum Latinas, Veteres tum Graecas antiquitates consulere debeo: pecuniam atque vt intelligatur, sciendum, moris apud in zonis veteres fuisse, aurum in zonis gestare. Egre portabant,

Hhhh gium

Exod. 4.
Gen. 32.
4. Reg. 4.
Psal. 2.

III.

Matt. 19.

gium mihi huius testimonium suggerit Suetonius in Vitellio, *Zona se aureorum plena circumdedit.* quin & Pelsennio Nigro scribens Spartianus ait, *Iussit, ne zoni milites ad bellum aureos vel argenteos portarent.* Gracchum quoque tradit Angellius, cum proconsolatu defunctus Romam redisset, integritatem suam testaturum, his apud populum Romanum verbis vsum, *Zonas quas plenas argenti extulit, eas ex Prouincijs inanis retuli.* quasi diceret, nemo me concussione aut peculatus, aut auaritia nomine fugillet: nam in prouinciam proconsul profectus, zonam auro & argento grauem extuli, at dignitate defunctus & domum reuertens nihil mecum circumfero, quod sinceritatis integritatisque proconsularis argumentum esset.

Cur Dominus pecuniam suos ferre vetet.

Isai. 2.
Psal. 67.

Quod cum ita sit, cum discipulos aurum in zonis gestare prohibet Dominus, ab omni auaritia eos alienos esse vult, & ad Euangelicam libertatem spirare: auaritia enim seruitus est, iuxta id Apostoli: *Quod est idolorum seruitus.* Porro hoc modo cum incederent, verum Isaiam dixisse testabantur, qui de futura Messia etate agens dicebat, *In illa die proiecit homo idola auri & argenti sui, &c.* feseque illos esse, de quibus Psaltes praedixerat: *Qui probati sunt argento,* sed nec his contentus est, vult etiam nudipedes illos incedere, sine calcamentis: *neq. calcamentia.*

Exod. 3.
Allegoria.

In huius rei figuram voluit olim Moysem calceos soluere Deus, & nudis pedibus ad rubum ardentem accedere: *Solue calcamenta de pedibus tuis.* Moyses rubum hunc sentibus & igne plenum *visionem magnam* nuncupat, eumque accessurus, calceos exiit. Ostendere mysterium volebat illos, qui ad diuinorum mysteriorum pertingere cognitionem volunt, quae rubus ardens & spinosus sunt, nudis pedibus accedere, id est, corde mundo & puro, omnemque imundum animae affectum exuere debere. Quare cum discipuli ad hoc destinati essent, id ad maximorum fidei mysteriorum, qualia sunt omnia, in quibus maxima difficultas & spinarum variae ac nodi continentur, cognitionem percipiendam, yetuit ne calcamenta portarent.

Sed audite & alia. Dilectus ille in Cantibus dilectae suae merita & perfectiones dilaudans calcamenta quoque illius deprædicauit, *Quam pulchri gressus tui filia Principis in calcamentis, &c.* Interea idem sponsus, qui Christus, discipulos vetat calcamenta gestare. Quam mysteriorum harmoniam ut intelligatis, sciat is oportet, calcamenta affectuum & voluntatum imaginem esse, & virginis Deiparae sponfam: & quoniam omnes illius affectus & cogitationes sanctae fuerit ac coelestes, ceterarum vero creaturarum terrestres & vitiosae, ideo hæc ob calcamenta laudatur, ceteris vero interdictum, ne eadem velut inhonesta gestent, *neq. calcamenta.*

Cant. 7.

Voluit Israelitas semper calcatos esse Dominus, quandiu in terra Aegypti permanerent, quod moraliter exponentes patres plura huc spectantia adferunt. Ambrosius & Gregorius aiunt tacite hic denotari, in mundo noxia ac venenosa timenda esse. Alium conceptum adfert Gregorius Nyssenus, atque vitam asperam & rigidam hic denotari eorum, qui Aegypto mundi huius egredi gestiant, ne forte a vicio rum spinis laedantur. Quidquid sit, non patum mirandum Hebraeis præcipi, semper ut calcati essent, discipulis vero calcamenta gestare inibebat.

Exod. 7.
Dent. 19.
2. Tim. 28.
Sup. Luc. 10. 107.
Cant. 7.
Rom. 12. de vita Moys.

Ut vero hoc mirandum, ita quoque mysterio non vacat, primo namque designatur hic fuit ministrorum Synagogicorum & Ecclesiae pastorum ac presulum dicitur: illi calcati & vestiti erant, & mundo penitus immersis; hi vero nudi esse iubentur, & ab omni terreno affectu mundati. Deinde ad voti, quod omnium nomine Petrus emisit, solennitatem demonstrandam, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te,* reliquimus inquam vxores, bona, honores, voluntates, imo & cogitationum & affectuum calceos. Tertio calcei, ut bene sanctus Hilarius obseruauit, è mortuorum animalium corio confecti, symbola mortis esse queant, adeo ut calceos gestare aliud non sit, quam mortem non metuere. Et quoniam Iesu Christi discipuli eius nodi & animi generosi esse debebant, ut quibus ipse antea dixisset, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere,* ut magis etiam in tepidi & va-

Cur Christi discipuli calceos ferre vententur.

Matt. 19.

Sup. Matt.

Matt. 10.

& va.

& validi redderentur, toto vitæ tempore calceos illos ferre vetuit. Atque hæc sunt, quæ circa Euangelium dicenda habebam, iâ de S. Luca agendum, quod reliquum navigationis meæ ipatium est.

IV. Gloriosus Lucas (cuius vt præconia texere incipiam) vnus è numero quatuor secretariorum & notariorum religionis nostræ, id est, Euangelistarum fuit, cuius Paulus Corinthiis scribens meminit, *Misimus vobis fratrem nostrum* (Lucam scilicet) *cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias.* Ipse fuit, iuxta magis Gregorij opinionem, discipulus ille, qui in die resurrectionis Dominicæ, cum Cleopha Dominum in Emaus retinere conatus est dicens, *Mane nobiscum Domine, quoniam aduerserascit.* Fuit fidelis D. Pauli in omnibus illius itineribus & aduersitatibus comes & socius, vt ipsemet Timotheo scribens testatur, *Lucas est mecum solus, &c.*

Erat autem arte medicus, & quidem inter peritissimos accensendus. Ita siquidem de eo ad Colossenses scribit Apostolus: *Salutat vos Lucas Medicus charissimus.* atque vt medicus præcipuas, quasque curationes & sanationes, quas Christus in vita fecit, scripto prodidit, ac præsertim, quæ ad spiritus & animi persanationem spectabant. solus siquidem ipse Magdalenæ morbum, lasciuiam scilicet & carnis petulantiam, simul quoque quam sanitatem consecuta est, enarrauit, solus ipse Zachæi vlcus terigit, auri cupiditatem scilicet, eiusque malagmata: solus ipse filij prodigi apostema, luxum scilicet, detexit, & mirabilem illius sanationem descripsit. Ipse denique solus de iniurijs loquens, Christi exemplum protulit, qui pro inimicis suis, tormentis & supplicijs saturatus, in cruce deprecatus est.

Velut peritus & excellens medicus, cum sciret omnes corporum morbos quadruplici ratione, primo per phlebotomiam vel sanguinis noxij, qui intra venas delitescit, diminutionem: deinde per abstinentiam ac dietam, tertio sudoribus, quarto per purgationem & amara catapotia persanari, quatuor alia his affinia ad morbos animæ dispellendos imprimis expedientia media suggessit. Ac primum medicinæ aphorismum, quem

hic tradit, ita in scripta retulit: *Beati pauperes spiritu* paupertas enim quædam phlebotomia est, qua, quod in vita superfluum est, & morbos in anima caulatur, auferimus. Secundus est, *Beati qui nunc esuritis*, vide dietam & abstinentiam. Tertius, *Beati qui nunc fletis*, quod ad sudorem spectat, lachrymæ omnes fletus veri animarum sudores sunt, at sudores, qui illis imprimis necessarij sunt. Quartus denique, *Beati qui persecutionem patiuntur*, persecutiones enim catapotia & pocula absynthiaca sunt, animabus tamen vitia. S. Lucas vero velut peritus medicus, solus hos aphorismos & medica præcepta tradidit, hæcque remedia aduersus hos morbos præscripsit.

At præterquam, quod magni nominis esset medicus, egregius quoque pictor erat, multasque Christi & Deiparæ illius manu depictas imagines post mortem illius, etiam superstitis fuisse fama est. venit mihi hic in mentem, quod Cicero & Plinius referunt: *Lib. de Oratore.* Postquam Paulus AEmilius Perseum Macedoniae regem bello deuicisset, duos sibi Athenis mitti viros postulabat, vnum Philosophum, qui Macedones Philosophicis præceptis imbueret, & alterum pictorem, qui domos artificio suo condecoraret, cuius iussu morem gerentes Athenienses Metrodorum Carneadis discipulum illi misere, qui duabus hisce dotibus ad stuporem vsque insignitus erat, vt qui pictor egregius, & Philosophus non minor simul esset, quod Atheniensibus laudi & ornamento fuit, qui tantos in Republica viros haberent. Proposito hoc meo adaptans, dico Ecclesiam multo potius alumnis & filijs suis gloriari posse, vt pote quæ tot excellentes & diuinos viros protulerit, sanctimonia & pietate illustres, alia huc exempla trahere nolo, quam Lucam hunc nostrum, qui solus inter reliquos & magnus exstiterit Philosophus, & Theologus medicus quoque simul & pictor: doctrina illius è scriptis erui potest, in Actibus scilicet Apostolorum & vniuerso illius Euangelio.

Figura huius rei fuit Iympidus ille fons, qui in terrestri paradiso scaturies, in quatuor semox flumina diuisit, quæ vniuersâ terræ superficië irrigarunt. Fons hic Christum Dominum

Hhhh z figura

Pfal. 35. figurabat, de quo in Pfalms dictum, *apud te est fons vitæ.* & in Canticis: *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium:* apud Isaiâ quoque: *haurietis aquas de fontibus Saluatoris:* & Ieremiâ: *Me dereliquerunt fontē aque vitæ:* & in Euangelio Ioânis, *Fiet in eo fons aqua salietis:* & Apocalypfi, *Dabo de fonte aqua vitæ.* Scaturiens hic fons Christus est, magnus ille magister cœlorum, & totius vniuersi doctor, cuius doctrina in quatuor sapientiæ riuos deriuata est, quatuor inquam Euangelia, quorum vnum Lucas composuit, qui velut flumen quoddam doctrinæ cœlestis omnem Ecclesiæ agrum irrigauit.

Qui nominis illius etymologiam examinare & inquirere voluerit, videbit à luce ipsū deriuari: atq; fuisse vñ de numero illorum, de quibus dictum, *Vos estis lux mundi.* Lux vero mundi sol est, qui quatuor habet mirabilia, primo, quod sublimi sit in loco collocatus, *sol oriens in mundo in altissimis Dei.* Deinde, quod lumine suo hominum oculis sit iucundissimus, *Et delectabile est oculis videre solem.* Tertio, quod celerime moueatur, *Magna est terra, & excelsum est cœlum, & velox cursus solis.* Quod denique vtilis & admirabiles effectus producat, *Quia homo hominem generat, & sol.* Omnia hæc Lucæ nostro adaptans, dico, eum velut paruum quemdam solem, eandem habuisse proprietates: sublimitatem, rerum cœlestium contemplatione ipse enim dixit: *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis:* delectationem & gaudium, *honestæ & benignæ vitæ conuersatione:* fuit namque de numero illorum, de quibus Apostolus ait, *Nostri autem conuersatio in cœlis est.* Promptitudinem & velocitatem, ardenti & zelosa prædicatione, quod Dei verbum Antiochiæ, Alexandriæ, & per vniuersam syriam annuntiaret, atque infinitam hominū multitudinem ibi conuerterit. Denique vtilitatem quandam singularem & incredibilem, Euangelium suum componendo, quod vniuersam Ecclesiā occupauerit: de quo Paulus ait, *Cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias.*

Et sane omnes per orbem Ecclesiæ eundem deprædicant, & vniuersus Christianus orbis in finitibus cum laudibus extollit, tum ob ea, quæ superius diximus, tum quod semper

virgo & cælebs existerit: ita sibi persuadet ginis Eucharis & alij, qui ob hoc illum in Virginitate Deiparæ secretarium credunt adlectum, secretarium quæ plurima illi mysteria & arcana, quæ alijs reuelata non fuerit, aperuit: velut colloquium, quod habuit in conclaui cum Angelo, qui incarnationem Dominicam illi annuntiabat: canticum *Magnificat*, quod ipsa composuit, & Zachariæ & Simeonis, quæ ipsa ab illis audierat: circumstantias & ceremonias natiuitatis & circumcisionis Christi, & alia infinita, quæ solus ipse, non alij Euangelista scripto mandauit, atque huiusmodi in puritate octoginta quatuor annos traduxit, ac propterea in boue denotatur, qui castitatis est symbolum & continentia, *Facies bouis à sinistris ipsorum quatuor.* & in Apocalypfi, *Secundum animal simile vitulo.*

Plurima mihi hic occasione vituli ac bouis dicenda occurrunt, atque omnia in Euangelistæ nostri laudem & præconium: primo ob quatuor bos prædicari solet: scilicet ob sacrificia, in quibus Deo immolari solet. Lucas autem Euangelium suum à sacrificio Zachariæ & Virginis purificatione exorsus est. Ita enim incipit, *Fuit in diebus Herodis sacerdos nomine Zacharias:* ideoque per bouem designari solet, vt notat Eucharis & Irenæus. Secundo ob gressum, lente enim progreditur: atque hoc modo in Euangelio Lucas procedit. Primo enim Messia præcursores introducit, deinde ipsam Christi conceptionem, natiuitatem, infantiam, pubertatem, adolescentiam, ad finem vsque vitæ. Mattheus & Ioannes de ascensu illius in cœlū ne verbum scripsere: Marcus vero nullum de iudiciaria illius potestate: Lucas autem gradatim progreditur, pertractat, scribit, ac tradit omnia. Tertio ob benignitatem, hoc enim animal iugo alligatum, stimulo impeditum, clamoribus obtusum non mugit obmurmurans, ac iter suum semper prosequitur, omniaque placidissime sustinet: ad eundem quoque modum Lucas noster, poenitentia iugum dū subiisset, & acri persecutionum tyrannicarū stimulo pressus, & iniuriarum obstreperis clamoribus aures obtusas habens, magnæ animi fortitudine ac patientia omnia semper tolerauit, atque vt Ecclesia canit, *Cruces*

Nomen s
Lucæ deri-
uatum à
luce.
Matt. 5.
Eccl. 2.6.
Eccl. 2.
2. Esth. 4.
Lib. de cœlo
Luc. 2.
Philip. 2.
2. Cor. 8.
Lucas vir-
go Vir-

Vixit as- nos 84.

Ezech. 1. Apoc. 4. V.

Quatuor nobilita in boue, que s. Lucæ adaptantur.

Virg.

Cap. olim chru boue mach

Bovinum *caput fectum* *relinquitur* *laboris o-* *lim sym-* *bolum.*
morsificationem iugiter in suo corpore portavit,
Et Quarto denique ob laborem, atque hinc
olim apud Romanos caput bouinum floribus
coronatum, laboris symbolum dicebatur: ip-
sa vero corona denotabat, laborem omnem
& sudorem remuneratione dignum esse. At-
que hoc ipsum non in seipso Luca nostro ac-
commodari queat, qui bouis instar mille la-
bore & difficultates pertulit, & strenue
impigreque in Euangelij predicatio-
ne, & animarum conuersione labora-
uit.

Bos conti- *nentia* *symbolum*
 Bos adhuc, vt longius progrediar, olim
 trium rerum Hieroglyphicum fuit, quæ Eu-
 angelistæ nostro apte conueniunt, continen-
 tia scilicet, iustitiæ & laboris. Quod ad prim-
 um igitur spectat, Sacerdotes Ægyptij,
 quod in boue insignem continentiam obser-
 uassent, cum modestum temperantem virum,
 prauarumque cupiditatum debellatorem,
 continentia studiosum representare vellēt,
 taurum expressere, qui natura validus & ro-
 bustus. Testem huiusce rei habeo Pierium
 Valerianum libro Hieroglyphicorum ter-
 tio. Non incepte igitur ac male scriptura &
 Ecclesia Lucam virum adeo prudentem,
 temperantem, castum & modestum, vt octo-
 ginta quatuor annis inuolatum castimo-
 nam & continentiam seruauit, hac imagine
 expressit.

Item iusti- *tie.*
 Secundo certissimum est, taurum ima-
 ginem & figuram iustitiæ semper extitisse,
 in cuius rei confirmationem Aaron Ponti-
 fex, quo iustitiam suam populo testatam
 faceret, iussus fuit tum pro se, tum pro
 vniuersa familia vitulum & hircum pro po-
 puli delictis immolare. Adhuc Athenien-
 ses suam patefacturi iustitiam, vel honestum
 laborem, vt nonnulli volunt, compen-
 saturi, pecuniam suam bouino capite signa-
 bant.

Pierius lib. *3.*
 Quin etiam ad tempus, ab vno num-
 morum latere Imperatoris sui imaginem, ab
 altero bouinum caput pingebant, quam
 eudendi consuetudinem iam inde à Thesi-
 temporibus illis in vsu fuisse prodit Plutar-
 chus. Ad hæc ita bouem, qui iustitiæ symbo-
 lum, veteres colebant, vt iidem & the-
 menses morte cum afficiendum censèrent,
 qui bouem extra necessitatem occidisset, nõ
 secus ac si hominem interfecisset. Roma

quoque capitale putabatur huicce animali
 iniuriam aliquam irrogare. Cum igitur
 Lucas tam sanctus & iustus vir fuerit, mi-
 rum nemini videri debet, si inter Euan-
 gelistas per bouem, qui iustitiæ symbolum,
 denoteretur.

Tertio, constat bouem vel taurum labo-
 ris & tolerantia semper symbolum fuisse.
 Hinc moris apud veteres Germanos fuit, no-
 uis nuptis par boui eodem iugo annexorum,
 equum frenatum, & clypeum cum reliquis
 armis, velut dotem & connubij arras mitte-
 re: quod munus Tacitus interpretatus, ac
 sponsæ illos indicare voluisse: iam se cum
 marito eisdem subire labores & matrimo-
 nij onera, & omnium molestiarum tam pacis
 quam belli tempore, quod bos, equus &
 arma representabant, fieri participem debe-
 re.

Bos laboris *& toleran-* *tia symbo-* *lum.*

Pierius lib.

His adiungamus quid è Mathematicorum
 & Astrologorum serinio depromptum: tra-
 dunt siquidem eos, qui in Tauro signo nas-
 cuntur, laboriosos fore & perpetua mæcipia,
 quod animal hoc præ cæteris iugum subeat.
 Quod spectarunt etiam Tyrij, cum Cartha-
 ginis fundamenta iacerent: reperto enim ca-
 pite bouino ab incepto desistere, & alio
 loco se ciuitatem fundare debere iudicabāt:
 quod animal hoc & fatalis inuentio nonni-
 si modestiam, difficultatem, ac laborem
 portenderet: tum vero meliore animo fue-
 runt, cum procul inde equi caput reppererunt,
 quod urbem bellacem & bello inclutam fo-
 re significaret. Non immerito igitur Lu-
 cas noster per animal hoc exprimitur, vt pote
 qui tot exantlarit ac subierit labores, totque
 in vitæ cursu perpassus sit molestias. Testa-
 bantur hoc ea, quæ scripsit, quæ multis in
 locis prædicauit, atque ad Ecclesiæ augmen-
 tum præstitit.

In Numerorum libro duodecim boues re-
 perio, qui ingens quoddam vas ancum susti-
 nentes, non nisi capita præferunt, & poste-
 riora occultant. quod sanctus Gregorius ex-
 ponens ait, verum hoc Ecclesiæ pasto am-
 symbolum esse, quorum exteriorem quidem
 agendi viuendique rationem perspicere li-
 cet, at interiora & opera & arcana à solo
 Deo conspici. Interpretatio hæc non adeo
 in seipsa & incommoda est, vt nec illa, qua va-

Num. 7. *3. Reg. 7.*

se hoc fufili Ecclefiam denotante, & bobus illius pastores, qui ad laborandum sudandū que electi & destinati sunt, dixerō, Lucam non male in vno horum animalium designari, quod vnus ē primis & maximis Ecclesie pastoribus fuerit, quique tantum in crucis fundatione & Euangelij propagatione laborauit.

Vestra venia aliud quid de hoc animali dicendum occurrit: notatum scilicet ab ijs, qui de animalibus scripsere, inter quadrupedes bouem & ceruum auditu valere. Atque ideo hieroglyphici Aegyptij promptam & expeditam obedientiam exprimere dum vellent, aurē bouinam, velut auditus symbolum pingebant. Lucas vero doctus ille, diuinus & gloriosus Euangelista, cum in Dei obsequio, vocatione, Euangelio, in terras, exteras profectio, praedicationis officio, tot laborum, molestiarum, ac difficultatum tolerantia, facultatum terrenarum relictione, sui ipsius abnegatione tam promptum se, humilem & obsequentē redd. dislet: nemini mirum videri debet, si per bouem denotari illum voluerit Deus, cuius auris adeo bona & sapida, quaeque & obedientiae symbolum. In huius rei testimonium noluit sibi Deus animal auri bus truncum immolari, vt hinc euidens fieret, animas quae inobedientes sunt, illi gratas non esse, sed quam maxime displicere.

Leuit. 22.

Mors D.
Lucæ.

Oras. 1. in
Iulian.
Epist. 12.

Tract. de
dedic. Basil.
Niceph. lib.
2. c. 48.

Nihil itaque ad laudum & praeciorum sancti huius Euangelistae complementum & perfectionem reliquum est, quam vt de morte illius loquamur: in qua aliqua occurrere solet difficultas. dubitant enim, imo & negant plurimi, martyrium illum subisse, Diuum Hieronymum secuti, qui in illius elogio Martyrij non meminit. Certissimum est tamen, Martyrem illum fuisse, quod magnorum virorum, & omni exceptione maiorum testimonio confirmare possumus: primo sancti Gregorij Nazianzeni, S. Paulini Nolani, qui suum hoc disticho testimonio complexus est:

*Hic pater Andreas, & magno nomine Lucas
Martyr, & illustris nomine Nazarius.*

Sanctum Andream & Lucam iungit & combinat, quod ambo Patres in Achaia martyrium subierint. Deinde & Gaudentij Brixientis, & Nicephori, qui supplicij quoque genus

describens, in cruce oleagina illum obisse asserit.

Cum generosam hunc Christi athletam tā feliciter in cruce vitam finientem videam, orationi quoque meae in cathedra finem imponam, vosque exhortor & obtestor, vt vitam, mortem, & eximias gloriosi huius Euangelistae virtutes colatis, admiremini, & honoretis. Quamobrem merita illius vobis proponite, vitae sanctitatem imitemini, in perfectionem respicite, cumque vniuersa Ecclesia de illius martyrio gaudeat, vestras illi preces offerre, illiusque patrocinium, & quae in caelo valet auctoritatem deposcite.

Tu vero gloriose Euangelista, beate caeli ciuis, & meritis incomparabilis, vota & supplicationes nostras propitius exaudi, tuam o medicorum gloria, Euangelistarum decus, prudentum Virginum speculum, pictorum gemma, & discipulorum Iesu Christi ornamentum, opem deposcimus, ad te oculos nostros conuertimus, ad te animum mentemque dirigimus, aurem precibus nostris accommoda. Fac o veritatis mystra, Spiritus sancti calame, Euangelij doctor, sublimium mysteriorum scriba, diuinitatis praeco, vt quod verbo docuisti, nos opere compleamus: quod praedicasti, credamus: quod fecisti & operatus es, imitemur: quae enim scripsisti, si crediderimus, & quae fecisti, imitati sumus, certissimam, per fidem simul & bona opera, caelestem aliquando gloriam ad eundi concipere spem possumus, ad quam nos Pater, & Filius, & Spiritus sanctus conducere ac perducere dignetur, Amen.

☩ (:) ☩